

è crisi subducto calculo aut candido aut  
 atro: illo absolvente hoc damnante; post  
 evictam veritatem, exurgit *convictio con-*  
*scientiæ*, quædam quasi *αἰχμαλωσία* quâ ra-  
 tio adversa captiva ducitur 2. Cor. 10. ac *se-*  
*cisio falsi* cùm λόγῳ ἔσω per *αὐτοκατὰκρίσιν*,  
 tùm λόγῳ ἔξω per confessionem & palino-  
 dian. Is enim qui causa cecidit, si sanus est,  
 si pius, si boni publici studiosus, ultro da-  
 bit manus & cogitabit, in veritatis Scholâ  
 pulchrum esse & vincere & vinci, ac quod  
 Philosophus denuo monet, non licere utri-  
 que eundem finem consequi, *πλείους γὰρ ἑνὸς*  
*ἀδύνατον νικᾶν*. Sequitur Elenchus, ac *ἐν ἀνιά-*  
*τοις anathema*, fulmen sacrum, *σημείωσις*,  
 Tit. 3. 10, 11. **Auctoramentum VICTORIA**  
**EST**, cujus obtentæ indicia sunt Adversarii  
 aut obmutescencia, aut mera petitio prin-  
 cipii, generalium verissimorumque prin-  
 cipiorum utrinque concessorum inficiatio:  
 contradictionis, & manifestæ absurditatis  
 admissio. (Syllogem hujusmodi absurdo-  
 rum & contradictionum in quam Collo-  
 quium Ratisbonense finiit, videas in rela-  
 tione von demselben Colloquio D. Ægid.  
 Hunnii p. m. 51. & seqq. nam ad hos tan-  
 dem scopulos adhærent qui hærent) sequi-  
 tur vadimonii desertio. Contra victoriam  
 jactare ante depræliatum prælium, alazo-  
 nia est, de quâ conquesti sunt *Remonstrantes*  
 Batavi